

NOBILISSIMO ET ILLVSTRISSIMO VIRO, DOMINO D.

ANTONIO DE NICOLAY,

EQVITI, DOMINO DE PRESLES, ET DE COVRCELLES,

MARCHIONI DE GOVSSAINVILLE,

CHRISTIANISSIMO REGI A SANCTIORIBVS ET SECRETIORIBVS CONSILIIS,
EIVSQVE IN SVPREMA RATIONVM CVRIA PARISIENSI PRIMARIO PRÆSIDI.

NEMINI mirum videri debet, Præses Illustrissime, *si Medicina Parisiensis arbitrum te statuit de propositis apud se controuersiis, & si dirimendis quæstionibus suis Disceptatorem te præesse cupit, quem toties æquissimum sibi Iudicem experta, & quolibet vertente biennio Sapientissimum Doctorem nacta prædicauit. Quamuis enim in eo dignitatis fastigio sis constitutus, à quo rerum nostrarum vsus remotissimus esse videatur, tamen cùm te incredibili eloquentia & inusitata eruditione pro sanctissimo tribunali tuo dicentem audirem, Te non magis Legum, quam disciplinarum omnium Magistrum sedere iudicaui. Testis est hæc florentissima ciuitas, è cuius regionibus vniuersis maximus fit ad Te concursus, quoties Te orationem publicam habiturum esse celebratur. Confluit frequens hominum multitudo, plebis vt communem suæ libertatis vindicem, Oratorum vt suum Ciceronem, Philosophorum vt Aristotelem, Theologorum vt Augustinum, peritorum Iuris vt Iustinianum, φιλελλήνων vt Demosthenem, Medicorum vt suum Hippocratem in Te possint exaudire. Gloriari desinat Ennius se triplici Corde viuere, quòd triplicem calleat linguam. Quantò maior est laus tua, cùm non tria Corda, sed tam multos homines in Te vno liceat admirari. Itaque sub tua singulari doctrina iudice sit nostra disputatio. Causa non cadam mea, si memineris Te tuam integritatem non tam industria comparauisse, quàm à natura traditam accepisse. Quid enim Ioannis ataui tui prudentiam, qui olim Cancellarius regno Neapolitano præfuit, Æmarij proaui fortitudinem, Antonij aui constantiam, Ioannis, augustissimi Parentis tui pietatem, tuam denique fidem in tua stirpe Gentilitiam hæreditariámque confirmauit? quid decem Christianissimorum Regum admirationi vestram illam ὀλιγαρχίας, vel potiùs αὐταρχείας, proposuit? cur inoffenso pede in vestrum tribunal omnes ascendistis? nonne partem huius gloriæ domesticæ acceptam referre debes illi abauiæ tuæ, quæ ex nobilissima Monmorenciorum domo in vestram familiam deducta, dedit vobis vt ἀπλανῶς administraretis Remp. Tantas scilicet vires habet εὐφυΐα, & à maioribus vtriusque sexus in posteros, & à parentibus in liberos deriuata virtus. Non tam fida, non tam omni tempore Imperio Gallico salutaris custodia Canis tui constitisset, nisi ab vtrisque pari cura & diligentia fuisset edoctus: non tam certum ipsi fuisset, blandiri bonis omnibus, perditis ciuibus oblatrare, & mordere neminem, nisi hostem patriæ. Quàm ingeniosè, quàm conuenienter generis vestri moribus excogitatum gentile Symbolum! Nunquid enim ex Nicolaïorum domo quinque sagacissimi & vigilantissimi Primarij præsides deducti sunt in supremam Rationum Curiam, vbi multos obseruarunt, multáque diligentissimè seruauerunt? Faxit Deus immortalis, vt tuus Filius, adolescens ad summa quæque natus, paterna & auita virtute, maiorúmque omnium animis plenissimus, ad munus non tam sua amplitudine, quàm vestra gloria illustre sextus accedat. Id postulat patria: omnes boni exoptant, & deprecabitur Schola Medicorum Parisiensium, in quorum animis tuorum beneficiorum memoria, in ore nunquam intermoritura laus vigebit. In eorum Ordinem admitti minimo quidem merito, sed maximis votis expetiui, vt vbicumque possem occurrerem tuæ beneuolentiæ,* Præses Illustrissime, *& ibi adessem vbi amas, & vbi Te coli singulari obseruantia intelligebam. Sua in Te studia Tibi significabunt Agonothetæ sapientissimi, si nostrum Lycæum ornatissimo conspectu tuo cohonestaueris; gestient ipsi parietes, & cum vniuersa Facultate saluberrima, omnium quotquot sunt in Europa celeberrima, eruditissima & verè primaria, exultabit*

Tibi obsequentissimus IOANNES DE MONTIGNY.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIV. IANVARII,

M. THOMA GAMARE, Doctore Medico, Moderatore.

964

Estne Femina opus Naturæ imperfectum?

RERVM viuentium natura vt perpetuò moriens perpetuò reuiuisceret, sexus diuersos instituit, quos in plantis coniunctos, in animalibus seiunxit; in belluis vt sensuum munera commodiùs obirent, in hominibus vt & melius viuerent. Mas est quod in alio generat, Femina quod in seipso: sua sunt vtrique indicia quibus internoscas; mas assurgit cornibus, crista superbit, calcaria pedes armant. In hominum genere, barba viro genas cohonestat, hispiditas cutem exasperat, & pulchritudo, si qua inest, terret. Aspectus feminæ blandior, caluities sinciput non deturpat, pectus prominentibus tumet mammis ad promptuarium genialis alimenti, maiorem ornatum, & ad imminuendum excrementorum πλεονασμόν. Hanc iusta Natura πλατυϊσχιωτέραν esse voluit, cutis læuitas nihil offensionis habet. Viro & mulieri vox decimoquarto ætatis anno immutatur, sed adhuc accentûs inæqualitate vacillat; ille annus vtriusque semen maturat; vterque fœcundus, & neuter, nisi simul effundant semina, hic ad os vteri, illa in sinum interiorem. Ad ea excipienda sedem aptiorem sortiri non potuit vterus; nisi ambo symbolum suum conferrent ad generationem, nequidem indigestæ molæ rudimenta possent adumbrari. Cum virile semen illapsum est intrò, fermentatur quidem, sed non in flatus euaporat, cum muliebri sociatur, suas sibi mutuò vires inspirant, & ad eiusdem substantiæ procreationem conspirant, sed non ad eundem sexum; nituntur in contraria, nec tamen nascentur contrarij, aut Hermaphroditi: Pugnam dirimet sapiens arbiter Natura.

PROLECTIS auidè seminibus diligenter conniuet vterus, & genituram arctè complectitur. Ab eo excitata vis conformatrix statim à prima die opus suum describit. Partium διάπλασις circulus est, initium vbique, & vbique finis. Multæ quidem partes principes, sed nulla quæ sit aliarum principium. In fœtus delineatione semen virile non semper femineo nutritur, quinimò virile sæpius est pabulum feminei. Degenerat à vera Philosophia, qui feminæ procreationem vult esse principium degenerandi. Femina non emittit semen nisi femineum, sicut vir non nisi virile; si illa vel nullum, vel infœcundum afferret, soli procrearentur mares. Quòd mulierum aliæ nascantur εὐφυέσταται, aliæ κοσμίαι, aliæ ἀνδρεῖαι, causam in generationis principia refunde. Cur plures eduntur puellæ? An quia mulier infirmior? imò quia validior. Θηλυτοκία est potiùs signum victoriæ muliebris, quàm cladis. Quò plures feminæ, eò minores sunt excursiones naturæ; multitudo, ipsius rectà tendentis ad fines potiùs, quàm aberrantis argumentum. Puellam efficit non ventorum Australium afflatus, sed constitutio seminum. An feminam gestari certis indiciis innotescit? Crede mihi, virginitas, primum tempus grauiditatis, & sexus discrimen in vtero, tria sunt δύσκριτα, & vix nota sapienti; quorum cognitionem audaciùs arrogabit sibi desipientium vates anicula, quàm insignis Medicus. Cur sæpissimè liberi matribus similes? An quia plus à matre haurimus quàm à patre? Similitudinem illam caue tribuas ideis, quas à singulis partibus impressas aduehant spiritus; proponantur exemplaria tyroni, non Naturæ, quæ nouit omnia, quamuis nihil didicerit.

MVLIER tamen naturæ voto gignitur, quàm vir; vterque pariter tuendæ speciei firmamentum. Errat miserè qui mulierum genitalia solo situ à virilibus discrepare censet: si tantùm locus eas partes distingueret, sæpe fieret mulieris in virum μεταμόρφωσις, quæ nunquam contigit. Qui contrarium tradiderunt, alios aspectus, alios fides sua decepit. Non intra abdominis septa præ caloris egestate genitiuæ partes feminæ substiterunt, nec eas ibi coacta natura, sed volens retinet; neque verò sexuum varietatem gradibus caloris assigna, ne omnia ἀκρατῶς à temperamentis repetere videaris. Femina quidem viro frigidior, sed nec frigidiorem esse vitium est, nec calidiorem esse in optimis reponendum. Tardiùs in vtero delineatur, non tamen segniùs perficitur, & ex vteri carceribus emissa citiùs incrementi calcem attingit: celeriùs senectute conficitur, sed quod Natura detrahit, sæpe rependit sobrietas, vitam vltra fati terminos proferens: sanguine fouetur magis diluto, menstrua tamen purgatio non est cruditatis soboles, nec noxia labe inquinatur. Hanc decimus quartus annus promouet, quinquagesimus vtplurimum adimit ætas interiecta in iis quæ gignunt, vel ad perficiendum fœtum impendit, vel ab vtero ad mammas ἀνάρροπον detorquet. Ad illas partes mutua fit sanguinis & lactis reciprocatio. Menstruus & lacteus humor consanguinei sunt, fratres si vis, sed rarò gemelli, sæpiùs Castoris & Pollucis alternantium vices imitantur. Naturæ nec placuit, nec licuit ἐπαμφοτερίζειν. Expeditior esset manuum vsus sine mammis. An potest mulier dextrâ læuâque vti ἀμφιδεξίως. Potest, & mente quæ est manus animi.

PERLVSTRENT oculis mulierem τερατολόγοι illi & monstrorum parentes, potiùs quàm filij, qui eam monstrosam Naturæ deprauationem putant. Feminæ corpus δημιούργημα singulare, non vtero solùm à viro dissentiens, sed plerisque aliis partibus: plurimarum ductus dissimilis, & numerus dispar; quæ similares vocantur, materiâ nostrâ constant paribúsque elementis. Quæ facultas muliebre corpus effinxit, ossa pubis negligentiùs compegit, non debilitate virtutis, sed consilio, & præsensione necessitatis, vt in difficili partu dehiscerent. Vis Architectrix ossa Capitis in vtroque sexu totidem suturis discreuit, & dentibus maxillas instruxit: articulorum ligamenta ab arthritide tutiora, & validius fibrarum robur in femina. Sæpius hymen deficit, cum occurrit, interdum pars necessaria dici potest, aliquando ludus, sæpe aberratio. Ex partibus organicis internas mirè adornauit Natura, externas seipsam superans artifici manu tornauit. Vbique veneres, & vbique laudis materia. Cur tantopere amatur mulieris forma? Cæcutientis quæstio, & vix Eunuchi. Causam intelliget, qui vel oculatus, vel vir fuerit. Pulchritudinem colunt omnia. An quia ipsa rerum omnium finis? Dic quibus in terris lateant viri, quibus parcat φιλογυνία, & eris mihi maior Apolline. Difficile est scilicet in decliui consistere, bonum necessarium non quærere. Qui cælebs vitam transigit, vel est Deus αὐτάρκης, vel bellua, cui hæc vna felicitas proponitur, vt mens omnis in aluo pinguescat.

VIGET in corpore muliebri animus immortalis, in quem eædem dotes cadunt, quæ in viros. Virtutes naturâ suâ non sunt viriles, sed humanæ; mulier tam ritè imperat, quàm paret, eademque bello præest Pallas, & togæ Minerua. Nunquam beatiora fuere regna, nec viri vnquam magis liberi, quàm cum Heroïnæ serui. Huius imperium, virtutis regnum. Virtus omnis femina, & feminarum præsidio cingitur, qui virtutibus ornatur. Fida mulierum comes pudicitia quas nequidem aquis oppressas deserit, ibi pudicum cadauer castioris animi memor pronum innatat. Patientiâ vt nulla præstantior virtus, ita nullibi frequentior quàm in hoc sexu. Quid muliere fortius? An vinum? An Rex? An Veritas? Primum superat fugâ, alterum illecebrâ, tertiam quoque vinceret, si veritas aliquid Deo minus foret. Nunquid & ipsum vicit? Fortior pietas superis. Mirum, quantùm crucientur in partu. In supplicium matris erumpit non tam fœtus, quàm tortor. Hunc si matris partem esse negas, certè fructus est qui nunquam nisi vi decidit quamtumuis maturus. Deficerent nisi sua parturientibus obstetricaretur constantia. Tantis defunctas doloribus lethææ magis, quàm lochiales perfundunt aquæ, inducentes ἀμνηστίαν malorum. Licet in matrem crudeles fuerint liberi; magis tamen ab ipsa, quàm à patre diliguntur; magis amatur quod pluris constitit. Quot nati, tot maternæ vitæ compendia, sic ferè omnis homo μητροκτόνος. Detrimentis maternis omnes viuimus. Quicquid hîc boni degustamus, vel in natura, vel in moribus, mulieris beneficium est, quam θεοῦ χάριν nuncupes licet, cum per eam ad te defluxerint omnia, bonorum Pandoram, orbis delicias; in illam Deus fuit liberalis, Natura prodiga, hic nihil voluit, illa nihil potuit ornatius moliri. *Ergo Femina non est opus Naturæ imperfectum.*

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE MONTIGNY, Abrincensis, A.R.S.H.M. DC. XLVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Legier.	*M. Petrus Yon.*	*M. Ioannes Degorris,* Med. Reg.
M. Ioannes Chartier, Prof. Reg.	*M. Claudius Germain.*	*M. Renatus Chartier,* Med. Reg.
M. Ioannes Pietre.	*M. Germanus Preaux.*	*M. Georgius Arbaut.*

405.